

quidem procedat, sit tamen unus, et princeps vere obligetur ex obedientia erga Pontificem et Romanus Pontifex ex fidelitate; primum fuit unam communem formulam adhibere quae mutuum obligationem ut in contractibus bilateralibus fit significaret, cuius interpretationem ipsa materia et natura actus satis suppeditaret. Tertia ratio petenda est ex scopo huius actus, qui est *concordia* instauranda inter Patrem et filios non satis morigeros: porro in huiusmodi conciliationibus frequenter occurrit ut formulae usurpentur etiam inter Patrem et filium non emancipatum quae verbo tenus contractus bilaterales significant, re tamen vera in eum finem usurpantur ut clementia et liberalitas Patris manifestetur. Cf. hac de re egregiam epistolam Card. Tarquini (Civiltà Cattolica Serie 8. volum. 8. p. 132.).

### THESIS XXIII.

*Exigit quoque ius Primatus ut nulla auctoritas humana impedire licite possit communicationem Romani Pontificis cum quovis fidei; ut nullum sit ius illud quod Principes sibi arrogarunt atque exercere se dicunt per Regium placet seu exequatur: atque absurda sit appellatio quae dicitur ab abusu.*

I. Haec non solum contra auctoritatem Primatus, sed generatim contra auctoritatem Ecclesiae pugnant, de qua in Proleg. §. XVIII. locuti sumus. Attamen quia horum iniquitas et iniustitia maxime patet cum adversus Primatum adhibentur, et potissimum ad eius immittendam auctoritatem primum saltem et alterum sunt excogitata, ideo de his hoc in loco disserimus. Facile autem quae de auctoritate Pontificis dicuntur pro universa Ecclesia, accommodari licebit Episcopis singulis pro suis Ecclesiis.

II. Itaque primo docemus nullam humanam auctoritatem posse licite impedire communicationem capitis Ecclesiae cum membris suis. Quod physice possit testatur experientia, at quaestio non est de vi physica, sed morali, hoc est de iure.

Ratio autem evidens est: nam Romanus Pontifex ratione Primatus est pastor immediatus omnium fidelium (Th. XIV), ius divinum officiumque divinitus impositum habens eos pascendi, quique vicissim eum audire et sequi tenentur, iusque habent eius directione et regimine fruendi: atque ius illud Romani Pontificis tum ratione originis, tum ratione finis praevallet cuicumque iuri potestatis civilis; est enim immediate a Deo auctore ordinis supernaturalis, et institutum pro directione hominum in finem ultimum eumque supernaturalem. Nullum est ergo in principe ius minuendi iura Primatus, vel impediendi exercitium officii sui; minueretur autem ius et etiam

tolli posset, si ius esset in principe impediendi communicationem capitis cum membris; desineret enim ius Romani Pontificis communicandi cum ipsis: hoc porro iure desinente, desineret Romanus Pontifex esse eorum pastor immediatus, desineretque proinde Primatus, qui in potestate universali et immediata pascendi consistit. Ineptus porro esset et impius, qui Romani Pontificis potestatem in singulis regnis *exteram* appellaret: audiatur Clemens XI in Bulla *Accepimus*: « Ambigere non possumus quin horrore perfundendus sit quisquis illud (edictum quoddam praetensi tribunalis Monarchiae) legerit, dum inter cetera perspiciet ac animo reputabit eo temeritatis perventum esse, ut *potestatis exterae* titulus Potestati illi adscribatur, quam nos per b. Petrum, eiusque successores a Domino accepimus in terris maximam, et quae in indigno haerede non deficit: perinde ac si Siciliae Regnum extra terrarum orbem situm esset; cum neminem pene lateant verba illa, quibus inclitus Claravallensis Abbas Eugenium III allocutus fuit: *Orbe exeundum est ei, qui forte volet explorare quae non ad tuam pertinent curam* » (De Consid. L. III, c. 1).

III. Constat pariter nullum esse ius illud quod Principes sibi arrogarunt, quodque exerceri dicitur per literas quibus nomen fit *placet* seu *exsequatur*. Placitum istud definitur a Van-Espen (Opus de Promulgatione Legum ecclesiasticarum, et Iur. Canon. P. II, T. 24, c. 6.) *permissio quam auctoritas civilis impertit bullis brevibusque pontificis, ceterisque actibus auctoritatis ecclesiasticae, ut vim obtineant in proprio statu*. Porro huius placiti ius dicitur inhaerens ex rei natura auctoritati politicae, et est quoddam ius se cavendi contra Ecclesiae usurpationes, vi cuius iuris auctoritas civilis declarat nullum habere valorem bullas et brevibus pontificia, ac quemlibet alium actum auctoritatis ecclesiasticae, qui permissione sua non muniuntur. Huiusmodi ius tributum est primum principibus Christianis, sed postulante logica infidelibus quoque concessum est. Haec dicitur *potestas principis indirecta negativa in sacra*. *Indirecta* quia ratione se suumque regnum tuendi contra Ecclesiae molimina competit principi: *negativa* quia non in eo est ut condant leges, sed ut neget seu detrectet vim legibus Ecclesiae (cf. prop. 41. Syllabi). An talis reapse sit videbimus deinceps. Hoc ius una est ex libertatibus Gallicanis. Docet De Marca (Concordia L. II, c. 17.) « non solum Ecclesiae Gallicanae consensum expectandum esse ut novi canones (etiam a Conciliis oecumenicis in re disciplinari editi) vigeant, sed regi quoque eam sollicitudinem maxime incumbere: novasque leges executioni mandari non posse, si principum consensu expresso vel tacito destituantur, etsi fortasse quam plurimis Ecclesiae Gallicanae proceribus acceptae fuerint ». Idem ius inter libertates gallicanas recensetur a

Petro Pithou in opere *Traitez Des Droits et libertez de l'Église Gallicane* Tom. 1, p. 11<sup>o</sup> quod opus tamen ab Episcopis Galliarum fuit reprobatum. Hinc, ut id obiter moneamus, intelliges cur huiusmodi homines tueantur eam sententiam quae docet leges ecclesiasticas quoque non valere nisi per provincias promulgentur, et tacito saltem populi consensu acceptentur (Cf. De Marca *ibid.* cc. 15, 16): sic enim tranquillitati conscientiarum consulunt quae legem non observant non promulgatam, quacumque ex causa impedita sit promulgatio. Quomodo factum sit ut id iuris sibi reges asseruerint, disces ex dissertatione cl. Card. Tarquini hac super re edita. Primordia porro ipsius ad seculum XV eodem auctore sunt referenda.

Iam vero 1) advertendum est quod immerito haec potestas dicitur negativa, tum quia potestas negativa sapit absurditatem: tum quia negatio consensus seu placiti regii est actus positivus, atque effectus positivus eum actum consequitur, si quidem est actus iuris legitimi ut ab adversariis dicitur; sequitur scilicet ligatio potestatis ecclesiasticae, cuius actus prohibetur manifestari et nullus redditur; atque sequitur solutio subditorum ab obligatione parendi legi latae a Pontifice. Imo neque indirecta ea potestas vocari potest ab adversariis, est enim qualis ab ipsis proponitur directa. Esset enim indirecta, si per accidens quando lex aliqua aut actus aliquis auctoritatis Romani Pontificis foret in damnum societatis, Princeps ius haberet impediendi executionem eius, sed amplius est ius placiti regii; et enim fertur per se in omnes leges et actus auctoritatis Romanae Sedis, ut nullus valeat nisi accedente consensu principis: quare universum exercitium potestatis ecclesiasticae pendet a potestate regis; atqui hoc est proprium eius qui directe sibi subiicit potestatem alterius: ergo.

2) Sententia Ecclesiae in hac quaestione manifestissima est. Plurimi Romani Pontifices constitutionibus suis huiusmodi doctrinam de iure placiti regii proscripserunt ut absurdam, temerariam, impiam, totius ecclesiastici ordinis et auctoritatis subversivam. Conferantur Bulla in Coena Domini §. 13. Constitutio Innocentii VIII *Officii nostri*, Constit. Clementis XI *Nova semper*, litterae apostolicae Clementis XIII. *Quam graviter*, Pii IX Breve *Probe nostis* et Encyclica *Quanta cura*, litteraeque Apostolicae *ad Apostolicam*; ac tandem Conc. Vatic. Sess. IV, c. 3, §. 4. Quare qui catholicus esse velit nequit huiusmodi ius civili auctoritati asserere.

Et sane si istud ius innatum est et essenziale civili potestati, competere debuit etiam Neroni ceterisque priorum seculorum principibus tyrannis; atqui evidens est absurditas huiusmodi neroniani iuris: ergo. Istud ius ignotum fuit Regibus quatuordecim seculorum

spatio; illudque implicite reiecerunt Patres negantes Imperatoribus quodlibet ius in res ecclesiasticas (cf. testimonia superius citata): ergo.

Et re quidem vera hoc iure asserto auctoritati civili, « illamet suprema ligandi atque solvendi potestas b. Apostolorum Principi eiusque successoribus a Christo Domino tradita secularis potestatis arbitrio per summam iniuriam atque intolerabilem temeritatem subiicitur » (Clemens XI, l. c.); ea enim potestas alteri subiicitur, cum ab hac exercitium illius eiusque efficacia dependet ita ut sine consensu huius ea actu nihil faciat. Item ordinatio hominum in ultimum finem ordinationi subiicitur eorumdem in finem quemdam temporalem; nam huc tantum spectat potestas civilis, quae proinde quidquid iure suo facit, propter hunc finem facit: quocirca si potestas civilis iure suo insito permittit vel prohibet publicationem actuum procedentium ab auctoritate Ecclesiastica ita ut valeant, si permittit, irrita sint, si prohibet, actus potestatis ecclesiasticae detruduntur in ordinem earum rerum quae ad felicitatem temporalem conducunt; et sic ordinatio in finem supernaturalem subordinatur ordinationi in finem temporalem. Quare ita irrita redditur institutio Primatus, nam oves Christi pascendae traduntur non solis pastoribus supremoque Pastori a Deo statutis, sed saltem pariter etiam laicis; falsumque prorsus foret ligari et solvi in caelis, quae Romanus Pontifex ligat et solvit in terris: ergo.

Vitium itaque huius rei in eo est quod promulgatio et valor legis et cuiusvis actus potestatis Pontificiae dependens fiat a consensu principis. Id haeticum prorsus est, atque auctoritati Primatus intrinsece repugnans. Quare sive ratione huius iuris id pro quavis lege fiat, sive pro aliqua tantum, sive semper, sive subinde, malum est intrinsece et iniuria manifesta.

Hoc monstrum erroris logice ex ea doctrina procedit quod inter homines una sit tantum suprema auctoritas, eaque sit reipublicae seu status auctoritas ex principiis naturae dimanans, cui potestas quoque religiosa, si qua sit, subesse debeat; ex doctrina nempe quae, ordine supernaturali excluso et fine quovis extramundano, solam naturam agnoscit finemque temporalem. Naturalismus scilicet et rationalismus supponendus est ut is error defendi possit. Has doctrinas evidentissime falsas, saepe proscriptas damnavit rursus Pius IX in Syllabo, ubi 39<sup>o</sup> propositio advertenda est, quae est immediata ratio placiti regii: « Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus ».

Inepta porro et impia est ratio, quae adducitur huius iuris, ut nempe Rex sibi suaeque societati caveat ab aggressionem et usurpationem ecclesiasticae potestatis. Nam 1) si ita est, cur non idem ius

conceditur Romano Pontifici et Episcopis contra auctoritatem civilem? Huic quidem interrogationi nunquam faciet satis qui catholicus videri velit. 2) Etsi possibile sit ut aliquando Romanus Pontifex abutatur auctoritate sua, ex eo tantum id sequitur quod, notitia accepta eius actus qui sit notorie iniustus, possit licite curare Princeps ne executioni mandetur, cuius tamen principis cura non admodum necessaria erit; si enim notoria est iniustitia, nemo pius obediet. Advertendum est autem quod hoc ius non est ius iurisdictionis, sed simplicis defensionis: quod non est ius detrahendi vel addendi valorem legi Pontificis, sed supposito invalidam esse legem, quia iniusta, ius est se defendendi contra iniustam aggressionem. Dixi *si actus sit notorie iniustus*; si enim 3) dubitari de hac re possit; iudicium definitivum huius rei ad principem non spectat. Ratio est quia rex curat tantum finem temporalem; leges autem Ecclesiae feruntur propter finem aeternum supernaturalem, cui finis temporalis subordinari debet etiam cum aliqua sui iactura, si opus est: iam vero fieri potest quod lex aliqua a Pontifice lata necessaria aut utilis maxime sit pro bono spirituali, quae tamen impediatur bonum aliquod temporale societatis civilis. Quae cum ita sint, liquet iudicium de iniustitia vel iustitia ecclesiasticae legis attingentis quoque bonum temporale non posse ferri ab eo qui curat tantum temporale bonum, sed ultimo ferendum esse ab eo qui supremi finis curam habet. 4) Hoc modo se gerere erga Ecclesiam est detestabilis contemptus ipsius, et Christi. Ipsius quidem, quae non tanquam mater amans colitur, sed ut noverca insidiosa timetur: Christi autem, qui institutor cum sit Ecclesiae, eamque Spiritu suo regat, traducitur veluti auctor institutionis, quae humanis iuribus et felicitati sociali bellum gerat, et sic seminator fuerit discordiarum in mundo.

IV. Quod de placito regio diximus, id et de *appellatione ab abusu* dicendum est, quae est alia libertas gallicana, si credimus Illustrissimo De Marca L. IV, cc. 19, 20, 21. Duplex distinguitur appellatio a doctoribus Gallis. Altera, quae simplex dicitur, tunc intervenit cum reus ab inferiore iudice ad superiorem provocat non quia iudicando ordinem omiserit quem ius sive naturale sive positivum praescribunt, aut quia incompetens fuerit iudex, sed quia cum censeat reus inferioris iudicis sententiam non esse secundum rei veritatem seu iustitiam, illam emendandam exhibet superiori iudicio per appellationem. Appellatio altera dicta ab abusu (olim dicebatur *ab abusu notorio*) tunc habet locum cum excipere licet contra iudicem ecclesiasticum quod in iudicando legitimum ordinem non servaverit, vel non sit iudex competens. In his casibus qui tuentur appellationes ab abusu dicunt integrum esse reo ab Episcopo aliisve

ecclesiasticis iudicibus interponere appellationem ad Principem, quippe qui, cum sit tutor iurium et exsecutor canonum, ac protector et defensor omnium, potest suspendere executionem sententiae ecclesiasticae donec iudicium, si opus sit, reformetur.

Verum assertores libertatum Gallicanarum docent non solum ob non servatum iuris ordinem licitas esse appellationes ab abusu, sed etiam « si constanti usu recepti canones, vel inveteratae consuetudines, adiunctae in fundandis beneficiis conditiones, privilegia Ecclesiis legitime indulta, vel cetera, in quibus libertates Gallicanae constitui solent, violentur, ... si regiae constitutiones violentur quae aut canones confirmant, aut de beneficiis decernunt, aut litium instituentiarum tam in causis civilibus quam criminalibus ordinem praescribunt (De Marca L. IV, c. 20, nn. 1, 6.).

Cur ita vocata sit haec appellatio explicat ipse De Marca l. c. c. 19. « Formula appellationum ab abusu specialiter accommodata est a pragmaticis antiquis quaerelae illi quae a clericis adversus vim iudicium ecclesiasticorum ad magistratus regios defertur, sive de rescriptis Romanae curiae conquerantur, sive de iudiciis Episcoporum... Iniecta est porro, ait, *abusus* mentio, « nequis existimaret (de verbis scilicet non de re agebatur) magistratuum consilium illud fuisse ut ecclesiasticam iurisdictionem seculari submitterent: quare non de re ipsa se iudicium suscepturos, sed de potestatis abusu extraordinaria cognitione habita, protectionis iure oppressis opitulaturos hac formula profitebantur ». Cum ergo et a rescriptis Romani Pontificis appellatio huiusmodi interponatur, advertit Charlas (De Libertatibus Ecc. Gallic. L. XII, c. 2.) quod reverentia quaedam quoad modum Pontifici adhibetur, ut nimirum non a sententia, decreto, vel rescripto eius, sed ab eorum publicatione vel executione appellari debeat, cum actus Episcoporum directe impetantur, et irriti fiant. Iam vero absurdissimus abusus harum *appellationum ab abusu* evidens est. Sane 1<sup>o</sup> hoc iure statuto *appellationum ab abusu*, asseritur iudici seculari et Principi iurisdictione qua iudicare potest iudicem ecclesiasticum abusum esse sua potestate, et qua executionem eius sententiae impedire valide potest, quod redit ad irritationem actus. Iam vero haec iurisdictione est iurisdictione in ipsos iudices Ecclesiasticos quales, et in ipsas res seu causas ecclesiasticas: atqui haec iurisdictione potestati laicae competere nequit; ergo. Minor certa est ex probatis in Proleg. §. XVIII; potestas enim Ecclesiastica est independens a laica. Maior facile probatur. Nam a) sententia, quae fertur circa abusum potestatis ecclesiasticae, respicit actum personae agentis ut est ecclesiastica persona et instructa potestate ecclesiastica; etenim haec sola potest abuti potestate Ecclesiastica: est ergo sententia quae fertur in

iudicem Ecclesiasticum ut talis est; ideoque iste prout talis foro laico subiicitur: *b*) ut sententiam hanc de abusu potestatis ecclesiasticae ferat, oportet ut iudex laicus simul cognoscat et iudicet de amplitudine et limitibus potestatis ecclesiasticae, ut causam iuridice cognoscat circa quam lata est sententia a iudice ecclesiastico, sine huius enim cognitione nequit cognosci abusus in actu qui totus quantus est ad causam iudicatam refertur; huiusmodi porro est iurisdictio in causas seu res ecclesiasticas: ergo.

2° In quavis societate perfecta remedium quidem est contra abusum potestatis inferiorum iudicum, sed hoc situm est in potestate superiorum iudicum eiusdem societatis; atque id exigitur a natura societatis perfectae, quod scilicet ipsa per se possit ea omnia quae sibi sunt necessaria, inter quae est remedium illud contra abusum potestatis iudicum. Quod si hoc nequit, vel si licet ad aliam societatem recurrere ut id obtineatur, iam ea non est societas perfecta. Atqui Ecclesia est societas perfecta (Proleg. §. XVIII): ergo. Sane prorsus illogicum est potestatem quidem facere reis in foro ecclesiastico appellandi ab abusu ad iudices laicos, et eandem potestatem negare reis in foro civili appellandi ab abusu ad iudices ecclesiasticos, si credatur Ecclesiam esse societatem perfectam h. e. sibi sufficientem et independentem. Quare defensio appellationum ab abusu non est nisi inhonesta adulatio potestatis laicae, et turpis professio servitutis.

3° Nulla sunt argumenta quibus haec servitus vindicatur. Aiunt: Rex est custos et exsecutor canonum. *Distinguo*: custos est et exsecutor cum iurisdictione quam in ipsam Ecclesiam exercent, *nego*; custos et exsecutor quatenus ad nutum Ecclesiae et secundum eius voluntatem procurare debet ut canones servantur a suis subditis, *conc.*

Aiunt rursus: Rex est defensor suorum subditorum contra violentias ipsis illatas. *Respondeo* 1° qui ius habet defendendi aliquem contra vim, illud tantum potest quod posset ipse qui defenditur. 2° Ius defensionis cum aliqua iurisdictione pro suis subditis competit Principi circa ea in quibus sua auctoritas versatur; non circa ea in quibus ipse est inferior. Itaque Rex est defensor suorum subditorum contra violentias, *distinguo*: in ordine civili, *conc.* in ecclesiastico *subd.* cum iurisdictione *neg.* sine iurisdictione *conc.* Quapropter sicut reus nequit sibi ipse ius dicere; ita neque Princeps potest pro reo in foro Ecclesiastico ius dicere in suo tribunali. Porro historia docet a potestate laica non ab Ecclesiastica frequenter esse violentias illatas subditis, et contra illam opus esse remedio a potestate superiori; atque in Ecclesiastica potestate frequenter invenisse tutelam ac defensionem qui vim patiebantur a laica potestate.

Perperam vero provocatur ad factum S. Athanasii qui dicitur a sententia Synodi Tyriae appellasse ad Constantinum veluti appellatione ab abusu. Athanasius enim satis noverat (cf. testimonia eius in Proleg. l. c. allata) nullum esse in deponendis Episcopis vel restituendis potestatem laicorum. Cum autem ipse nullum ius agnosceret in Synodo Tyria, nec eius sententiam expectasset, illa tamen Synodus freta auxilio et vi Constantini omnia praeter et contra ius auderet, confugit ad Constantinum non ut iudicem sed ut repulsores iniuriae, quae tandem ab ipso Imperatore etsi praeter eius intentionem procedebat. Voluit quidem Athanasius detrectans iudicium Episcoporum Tyrii reservari integram suam causam Imperatori, idque libello oblato Dionysio Comiti misso ad Synodum a Constantino professus est; verum quis non videt tunc Athanasium illud unice cavisse ne Ariani potestate quam sibi arrogabant contra ius et in Ecclesiae perniciem abuterentur, paratum quidem ad se defendendum penes ipsum Imperatorem, non vero tanquam iudicem legitimum suae causae, sed tanquam eum qui vim sibi illatam efficaciter repellere posset? Non enim ignorabat Athanasius iudicem suae causae esse Romanum Pontificem, sibi ius esse appellandi ad ipsum; sed non semper expedit iure suo uti, eaque aetate, qua plurimum Imperatori ob eius merita in Ecclesiam deferebatur, verendumque erat ne Imperator offensus graviora damna licet iniuste inferret Ecclesiae, censuit Athanasius abstinendum ab appellatione ad Romanum Episcopum, eaque tantum ratione utendum esse quae in iis adiunctis esset commodior. Iam vero ex actione viri qui ex pluribus circumstantiis impeditur ne secundum strictas regulas iuris agat, quis merito colligat quid sit iuris, quid non?

Ad rescripta vero, decreta, sententias Romani Pontificis quod spectat, appellatio ab abusu eo pertinet ut vel non publicentur et executioni mandentur quae Pontifex decernit, vel per sententiam regii magistratus nulla et irrita ea publicatio ac executio possit declarari. Qua in re idem est vitium ac in placito regio. Huiusmodi appellationes Episcopatus Gallicanus semper improbavit.

In bulla Coenae excomm. 13<sup>a</sup> a Romanis Pontificibus expresse damnatae sunt. Fallit proinde vel fallitur De Marca l. c. cum ait « cum appellationum istarum usus frequentetur in Gallia, a Romana Curia nihil profectum est, quo ingratis sibi esse fori trituras illam significaret ». In Syllabo Pii IX, prop. 41. reprobata est: « Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra, eidem proinde competit nedum ius quod vocant *exsequatur*, sed etiam ius *appellationis* quam nuncupant *ab abusu* ». Eae iam reiectae et damnatae reperiuntur can. XII. An-

tiocheno et can. VI. Conc. Constant. I, quos superius retulimus: quare, ut id obiter dicamus, assequi non possumus quomodo eas appellationes ii tuerentur, qui libertates Ecclesiae Gallicanae in custodia veterum canonum sitas esse docuerunt. Cf. de his optime disputantem Charlas I. c. et in H. E. Natalis Alexandri sec. IV animadversiones Dominici Mansi ad Dissert. XXI.

V. Expedienda est singularis obiectio quae ex Gregorii M. modestia desumitur, ut in rebus quoque ecclesiasticis Pontificem Romanum auctoritati politicae subesse demonstratur. Res ita se habet. Legem tulerat an. 592 Mauritius Imperator ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad ecclesiasticum officium venire non liceat; nec eidem, et pariter illi qui semel in terrena militia signatus fuerit, in monasterium converti liceat: idemque Imperator iusserat ut Gregorius eam legem per diversas terrarum partes transmitti faceret. Constant haec ex epist. Gregorii 65, L. III. Iam vero Gregorius primam partem legis laudavit, sed maxime improbavit alteram, demonstravitque malam esse, utpote cuius excusationem nullam esset Imperator inventurus in iudicio Christi. Nihilominus post plura argumenta congesta ad eam partem legis refellendam, concludit epistolam scribens: « Ego quidem iussioni subiectus eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meae paginam serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo quae debui exsolvi, qui et Imperatori obedientiam praebui, et pro Deo quod sensi minime tacui ». Atqui, aiunt, haec erat res ecclesiastica, ingressus scilicet in monasterium: paruit tamen Pontifex Imperatori quamvis illi lex non probaretur, quod debitum subiectionis maxime ostendit. Scilicet sanctissimus Pontifex censebat etiam in re mala obediendum esse Principibus; quod quantum sit alienum a sanctitate et sapientia huius tanti viri nemo non videt. Ex hoc ergo docemur inquirendum esse quo pacto Gregorius legem Mauriti ad alios transmiserit. Exstat epistola eiusdem 5<sup>a</sup> Lib. VIII ad plurimos Metropolitanos et Episcopos, quae vel ea est quacum legem transmisit Gregorius, ut vult Baronius, vel si anno Christi 598 scripta est, ut recentiores editores censent, ea est certe ex qua cognoscere licet quo pacto legem imperialem transmiserit Pontifex. Ait enim: « legem quam piissimus (titulus est honoris non praedicatum reale) Imperator dedit... vestrae studii fraternitati transmittere etc. », quam legem ita temperat et emollit ut qui ex militaribus numeris in monasteriis converti festinant non suscipiantur temere, sed iuxta normam regularem in suo habitu per triennium probentur, et sic suscipiantur. Qui vero rationibus publicis sunt obnoxii non suscipiantur in monasteriis nisi prius a rationibus publicis

fuerint absoluti; subdit vero: « Qua de re, mihi credite, etiam serenissimus et christianissimus Imperator omni modo placatur, et libenter eorum conversionem suscipit quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit ». Id porro Gregorius non probat ex aliquo responso Mauriti, sed potius ex aequitate eius illud Gregorius colligere videtur. Sic proinde legem transmittens non se gessit ut subditus, sed ut superior, illudque egit quod tunc angustiae permittebant quibus premebatur Ecclesia. Ita profecto factum hoc interpretatus est Hincmarus Remensis inquiring (epist. 15<sup>a</sup> Mig. V. 126, p. 94.) quod decretum Mauriti « S. Gregorius auctoritate Apostolica et generali episcoporum consensu, ecclesiastico vigore, et reipublicae christianae cohibente religione destruxit, veluti in eius epistola ad ipsum Mauritium imp. et ad plurimos archiepiscopos directis ostenditur ».

#### THESIS XXIV.

*Iure divino Romanus Pontifex plena gaudet immunitate personali a laica iurisdictione. Cuius immunitatis ius quidem est essenziale Primatui a Christo instituto, exercitium vero non absolute necessarium est ut Ecclesia sit, sed ut ea bene sit, vitamque eam socialem perfecte vivat ad quam ius habet. Perfecta porro actuatio huius immunitatis est Principatus civilis, qui providente Deo institutus est ut Romanus Pontifex ad Ecclesiam regendam, eiusque unitatem tuendam plena illa potiretur libertate, quae ad supremi Apostolici ministerii munus obeundum requiritur.*

I. Immunitas definitur: *privilegium quo res quaedam vel persona a communi aliqua obligatione seu onere eximitur.* Privilegii nomen sumitur lato sensu, prout comprehendere potest ius aliquod naturale vel divinum alicui specialiter conveniens prae aliis (Suarez Defens. fidei L. IV. c. 2.). Immunitas ecclesiastica duplex vel triplex ex parte obiectorum distinguitur: nimirum alia est immunitas locorum seu templorum aut ecclesiarum, alia est immunitas personarum seu clericorum, tertia est immunitas honorum quae ratione locorum seu personarum ab oneribus seu tributis eximuntur. Immunitas dupliciter violari potest: 1) agendo tantum contra ipsam: 2) agendo sub praetextu iuris, quo quis contendat se iure agere, seu iurisdictionem habere ad faciendum id quod immunitati adversatur, quemadmodum frequenter solet civilis auctoritas. Qui hoc altero modo immunitatem ecclesiasticam violat, dicitur proprie agere contra *libertatem Ecclesiae*; nam ille proprie agit contra libertatem alicuius qui vult illum in servitutem redigere, et onus servitutis illi impo-